

tentur Jurisconsulti nostri patriam potestatem erga puellarum Matrimonia definire anno 25 completo, filios autem posse, etiam non postulato patris consensu, post annum 30 validè contrahere; quanquam si faciant, propter parentum contemptum exheredari possint, ut expressè statuitur Edicto Henrici II, an. 1556.

Resp. 2<sup>o</sup>. Matrimonia, invitis parentibus, contracta à filiis post annum 25 completum in Galliis irrita non declarari quoad contractus civilis substantiam, nisi vitium aliud horum integritati noceat: neque enim extant Senatusconsulta, quæ hujusmodi Matrimonium rescindant, nisi præter defectum consensûs parentum, in eo vitium aliud occurrerit; ut si, v. g. neglecta fuerit Parochi præsentia, vel Bannorum promulgatio quam olim multi prorsus necessariam arbitrabantur; contra verò plura sunt Senatusconsulta quæ valida pronuntiant Matrimonia de quibus agitur. Cujus generis varia exempla videre est in Diario *Audientiarum*, apud *Bardet & Basnage*. (*Journal des audiences*, tom. 2. — *Recueil d'Arrêts de Bardet*, tom. 2. — *Basnage*, tom. 2. *Comment. in consuetudinem Normannia*.) Hujus jurisprudentiæ hæc videtur esse ratio, quòd præcipua causa propter quam rescinduntur Matrimonia, invitis parentibus contracta, sit raptus seductionis qui in iis occurrere solet; in conjugis autem quæ filii post annum 25 completum ineunt, nullum in Galliis locum habet raptus seductionis.

## CAPUT IV.

## De matrimonialis consensûs libertate.

IN omni contractu requiritur ut spontè & liberè fiat; nullum est ergo dubium quin liber esse debeat consensus matrimonialis. Porrò libertas cognitionem & deliberatam voluntatem postulat. Quapropter si in alterutro conjugum nulla sit rei quæ agitur notitia, nullus deliberationi locus, sed per vim omnia & alieno impulsu transigantur, irritus est contractus propter libertatis defectum, ad matrimonialem consensum necessariæ. Cùm autem error cognitioni, & metus deliberationi opponatur, errorque & metus sit multiplex, expendendum est quis, qualisve error aut metus libertatem ita impediatur, ut nullum & irritum faciat Matrimonium.

## ARTICULUS PRIMUS.

## Quis error Matrimonium faciat irritum.

Circa Matrimonium quadruplex esse potest error, personæ nimirum, qualitatis, fortunæ, & conditionis. Error personæ est, quando circa personam erratur, ut si putetur Petrus esse qui Paulus est, aut vice versâ: tali errore deceptus fuit Jacob Patriarcha, quando Liam uxorem duxit in locum Rachelis fraudulenter suppositam.

Error qualitatis versatur circa animi vel corporis dotes quæ judicantur alicui inesse, licet eas non habeat; ut si quis puellæ vinolentæ, quam sobriam crederet, sese Matrimonio jungeret.

Error *fortuna* spectat bona temporalia, ut si dives existimetur qui ad nuptias quaeritur, cum revera sit pauper & tenuis.

Error *conditionis* est ille quo liber putatur aliquis, quamvis servus sit. Cum autem in Galliis nulla sit servitus, & qui ad nos accedunt servi, libertate statim donentur, locum apud nos non habet error conditionis; quapropter de illa silebimus.

Annotandum est verò cum S. Thoma (*Supplem. quest. 51. art. 2. ad 3.*) errorem *qualitatis* aliquando verti in errorem personae, cum scilicet qualitas ipsa personam designat & à qualibet alia distinguit; ut, v. g. si contrahens declaret se velle uxorem ducere filiam primogenitam quam nunquam vidit, & ejus loco detur natu minor. His praenotatis, sit

PROPOSITIO I.

Error circa personam Matrimonium facit nullum & invalidum.

Prob. Ad Matrimonium necessario requiritur mutuus duorum consensus, quo sibi reciprocum faciunt sui corporis potestatem, voluntque individuum vitae consuetudinem retinere: atqui mutuus ille consensus stare non potest cum errore circa personam. Fingamus enim, ex. g., Petrum velle *Catharinam* uxorem ducere, & in ejus locum substitutam esse *Agnetem*: tunc nedum velit Petrus *Agnetem* sibi Matrimonio jungere, & cum ea individuum vitae societatem retinere, nequidem de *Agnete* pro uxore habenda cogitat; ergo, &c. Et verò, quemadmodum ex lege naturali nulla & invalida esset auri emptio, si ejus loco supponeretur aurichalcum; ita jure naturae nullum censeretur Matrimonium, quando personae de qua conventum est alia substituitur.

Dices: si quis volens baptizare *Petrum*, baptizaret

saret *Joannem*, verum nihilominus Sacramentum conferret, verèque baptizatus esset *Joannes*; ergo pariter si quis volens *Catharinam* ducere uxorem, *Agnetem* duceret, verum contraheret Matrimonium; ideoque error personae Matrimonio nihil nocet.

Resp. Neg. conseq. & parit. Ratio disparitatis est, quia cum Baptismus suam ab autore Deo habeat efficaciam, eo ipso quòd subjecto idoneo conferatur, fit Sacramentum: ad illius enim veritatem nihil interest, si *Petrus*, si *Joannes*, si *quivis* alius homo sit, cui Baptismi beneficium impenditur, cum ab eo nullus excludatur; at verò Matrimonium est contractus duas inter personas, aliis exclusis, celebratus; ac proinde ubi adest error personae, inutiliter fit quidquid fit: in ceteris enim contractibus, ut firmitatem habeant, necesse est tradi rem ipsissimam de qua conventum est inter contrahentes; quòd magis idem dicendum de Matrimonio quod perpetua est viri mulierisque conjunctio!

Juxta principium modò constitutum, 26 Maii 1700 sententià *Officialis* Parisiensis nullum declaratum fuit Matrimonium viduae *Gravel*. Probavit se deceptam fuisse, dum crederet alii nubere, quam viro qui coram Sacerdote cum ea sese obtulerat, ad recipiendam benedictionem nuptialem. Hic erat famulus cubicularius (*valet de chambre*) suum Parisiis habens domicilium, qui mutato nomine se fingeat esse D. *Burgault* Regis Geographum Versaliis manentem. (*Decombes, Procédure civile, tom. I. chap. 5.*)

Ejusdem generis est judicium quo Senatus Rhedonenis invalidè contractum pronuntiavit cujusdam privati Matrimonium, qui nomen sibi adsciverat *Francisci de Mouchy*. Faventibus nomine & gentilitiis insignibus (*les armes*) familiae *de Mouchy*, fictisque testimoniis uxorem duxerat *Mariam Rosam de Lys*, filiam *Sebastiani de*

*Jys, Chevalier, Sieur de Beaucé. (Code Matrimon. ad verbum Empêchement, nomb. 2. §. 1.)*

PROPOSITIO II.

*Error circa divitias & qualitates Matrimonium non tollit, etiamsi contrahentis animus in eas feratur, tanquam in conditionem ex qua pendere velit consensum in personam, modo id exterius non significaverit.*

Probatur. Tacita enim hæc intentio, nullis expressa signis, non impedit quominus liberè & seriò proferantur verba quibus contrahi solet: atqui ex alibi dictis, ad Matrimonii veritatem sufficit ut liberè & seriò proferantur verba quibus Matrimonium contrahitur, iisque in circumstantiis in quibus ex communi hominum existimatione fieri consuevit; ergo, &c. Alioquin omnia recurrerent incommoda, quibus laborare ostendimus eorum sententiam, qui ad Matrimonii veritatem non satis esse contendunt, ut aliquis ea verba seriò & liberè pronuntiet, quibus contrahi solent conjugia.

PROPOSITIO III.

*Error circa divitias & qualitates Matrimonium facit irritum, quando contrahens exterius significat consensum in personam ab illis pendere,*

Probatur 1<sup>o</sup>. quia sine consensu aliquo validum esse non potest Matrimonium: atqui in hypothesi de qua agitur, nullus est consensus; cum enim ille ex conditione exterius significatâ pendeat, eâ non existente, tollitur, nec subsistere censetur consensus.

Prob. 2<sup>o</sup>. ex iudicio quod simili in causa pronuntiatum fuisse narrat Basilius Pontius. (*De Matrim. pag. 193. n. 13.*) En factum: Puella

quædam frequenter declaraverat malle se millies mori, quàm Matrimonium inire cum viro ex Judæorum sanguine oriundo. Postea tamen contigit ut cum viro jungeretur, qui ex Judæo natus fuerat, quamvis interroganti puellæ se Judæum esse negasset: Matrimonium illud declaratum est irritum. Cui sententiæ subscripserunt quotquot erant Theologi & Jurisconsulti doctiores. Unde concludit Pontius non dubitare se, quin in alia quavis specie eodem modo judicaretur, si juridicè constaret contrahentis consensum à bonis fortunæ & qualitatibus ita pendere ut, iis sublatis, nollet contrahere.

Prob. 3<sup>o</sup>. In eo post S. Thomam consentiunt Theologi & Canonistæ, quòd error qualitatis Matrimonium tollat, quando vertitur in errorem personæ; idque contingere aiunt, cum qualitas circa quam erratur, personam determinat & ab alia distinguit: atqui ubi palàm significat aliquis suum in personam consensum, ab hac vel illa dote pendere quam tamen non habet, tunc qualitas circa quam erratur personam determinat, & ab ea distinguit quæ requisitâ dote destituta est; ergo error ille vertitur in errorem personæ, ac proinde Matrimonium facit irritum. Hinc (*Deut. 22.*) puella quam maritus ut virginem duxerat, si temerata comperitur, ejici potest & pœnis à lege constitutis manet obnoxia.

Verùm hujusmodi declarationem rariùs patiuntur Principum leges, & si factâ fuerit apud nos ab alterutro sponso, ad Matrimonium non admitteatur, sed ab omni contractu abstinebitur: unde accidit ut semper valeat conjugium in quo circa fortunam & dotes conjugis, ab alterutro vel ab utroque contrahente erratum fuit; idcirco generatim post S. Thomam pronuntiant Theologi plurimi, errorem qualitatis, v. g. nobilitatis, irritum non facere Matrimonium.

## ARTICULUS II.

*Quis metus libertatem consensus matrimonialis ita perimat, ut nullum sit conjugium.*

Metus à Theologis & Jurisconsultis definitur: *Instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio.* Duplex distinguitur. Alius dicitur *gravis*, quo scilicet grande & imminens malum reformidatur, qualia sunt mutilatio, servitus, carcer, exilium, infamia, bonorum omnium jactura, mors. Metus hic dicitur *cadens in constantem virum.* Alius appellatur *levis*, hominisque est se ipsum malè torquentis, propter leve quodvis malum, & dicitur *cadere in virum imbecillum & inconstantem.* Ad æstimandum verò metus gravitatem aut levitatem, habenda est ratio sexus, ætatis, conditionis: potest enim metus aliquis in viro levis censerì, qui in juveni vel in muliere, propter minorem animi constantiam, gravis haud immeritò putaretur.

De metu levi nulla est difficultas; tum quia leges nullam ipsius rationem habent; tum quia liberum contrahentis consensum non impedit; siquidem in illius qui imprudenter timet potestate est metum deponere; tota ergo difficultas est de metu gravi qui oriri potest à causa vel naturali & internâ, ex morbo, v. g. unde immineat vitæ amittendæ periculum, vel externâ, ex hoste, v. g. infensissimo qui districto gladio mortem committatur. Præterea metus ille justè vel injustè potest incuti: denique vel eo sine infertur, ut ab aliquo extorqueatur consensus in Matrimonium, vel propter aliam causam.

His præmissis, expendendum est quandonam metus gravis libertatem ita lædat, ut Matrimonium faciat irritum. 1º. Certum est Matrimo-

nium ex metu gravi justè incusso factum, validum esse, ut potè satis liberum; si quis, v. g. virginem à se violatam Judicis sententiâ ducere uxorem compelleretur, alioquin ad triremes damnandus, vel morte plectendus, ratum esset illud conjugium: ratio est, quòd tunc consensus, saltem in causa sua, sit prorsus liber; qui enim timet omninò liberè id fecit, propter quod metus ipsi justè incutitur; sibi ergo imputare debet quòd à Judice compellatur, eam sibi Matrimonio jungere quam, post datam Matrimonii inveniendi finem, corripit: postulat enim justitiæ ordo ut damnum alteri illatum reparetur.

2º. Certum est valere Matrimonium ex metu gravi contractum, qui à causa naturali & internâ proficiscitur: si quis, v. g. propter metum mortis ex morbo, naufragio, aliisve ejusmodi causis exortum, in Matrimonium consentiat, ratum est ac validum; quemadmodum rata est professio religiosa ad quam metu mortis ex morbo adductus fuit aliquis: ratio est, quòd Matrimonium illud requisitam habeat libertatem, cum spontè ad illud sese ferat: qui enim, ponderatis omnibus circumstantiis, unum præ alio eligit, nemo ut eligat rogante & adigente, is satis liberè agit, quamvis, sublatis in quibus versatur circumstantiis, non ita ageret, ut patet in eo qui pretiosas merces in mare ex servandæ vitæ studio projicit.

Supereff ergo difficultas de metu injustè à causa externa &, propter obtinendum in nuptias consensum, incusso.

## P R O P O S I T I O.

*Metus gravis injustè & ad extorquendum in nuptias consensum incussus, libertatem non quidem omninò perimit; sed libertas quæ tunc superest, ad consensum matrimonialem non sufficit.*

Probatur prima pars. Metus ille libertatem non omninò destruit, quo posito, consensus potest esse liber, & reverà talis est: atqui, posito metu gravi, licèt ad extorquendum consensum injustè à causa externa incutiatur, consensus nihilominùs liber est; siquidem in metu quantumlibet gravi, voluntas, spectatis omnibus circumstantiis, efficaciter unum præ alio eligit; v. g. aliquis in metu mortis à violentis prædonibus incusso, vult auro, argento vestibusque, si opus sit, sese spoliare, idque libens eligit tanquam melius bonum, & præ alio amplectendum; ergo, &c.

Et certè opus illud non est omni libertate destitutum, per quod possamus peccare: atqui per opus factum ex metu gravi de quo agitur, possunt homines peccare, ut patet ex iis quæ, sævientibus in Christianos tyrannis, contigere. Nonne enim peccârunt qui metu mortis Christum negavêre?

Prob. secunda pars: Consensus ad Matrimonium requisitus, omninò liber & voluntarius esse debet; nullus quippè est gravioris momenti contractus: atqui juxta mentem legis nihil voluntario magis adversatur, quàm violentia & metus, ut fert istud juris effatum: *nihil consensui tam contrarium, quàm vis & metus.* (Regul. juris 116.)

Præterea sic jure canonico statuitur: *Si talis metus inveniatur illatus (feminis contra Matrimonium reclamantibus) qui potuit cadere in constantem virum, erunt non immeritò audiendæ.* (Lib. 4. Decretal. tit. 1. cap. 28. pag. 1442.) Porro non audiendæ fuissent illæ mulieres, si libertas quæ in eo remanet, cui metus gravis injustè à causa

externa incutitur, propter ipsum Matrimonium contrahendum, sufficeret; ergo ex jure saltem positivo ad Matrimonium non sufficit libertas quæ in eo remanet cui, &c.

In propositione diximus ad extorquendum in nuptias consensum incussus. Si enim qui metum incutit non eò spectet ut consensum in nuptias extorqueat, sed aliud sibi proponat, tunc valebit Matrimonium inde consecutum; metus quippè in eo casu dati consensus non est causa, sed occasio tantùm. Si quis, v. g. ut sese è carcere liberet, nuptias promiserit cum hominis filiâ, cujus ope libertatem sibi restituendam esse novit, firmum erit conjugium; nulla enim ipsi infertur circa Matrimonium coactio, cum supponatur propter alias causas in carcere detentus.

Quæres 1<sup>o</sup>. quandonam metus à parentibus incussus, ut gravis habendus sit.

Resp. metum illum, ubi à gravi comminatione, & verberibus se jungitur, non esse nisi levem; tùm quia metus ille non hujusmodi est, ut virum constantem territet, ipsique consensum extorqueat; tùm quia generatim loquendo æquum est ut filii voluntatem suam parentum judicio ex metu quodam reverenti subjiciant. Parentes enim prudentiores esse consueverunt, quàm filii qui experientiâ destituti, cæco libidinis impetu in nuptias sibi deinde intolerabiles sese conjicere solent. Ubi verò parentes minas atroces, verbera duramque tractationem adhibent, inde exoritur metus gravis qui virum constantem moveat, eum præsertim qui ab altero pendet.

Matrimoniorum libertati ita jure civili cautum fuit, ut si pater filium aut filiam hæredes eâ lege instituat, ut conjugium cum hac vel illa persona iniri sint, hæreditate vel simplici legato non excludantur, quamvis aliis nupserint. Hujusmodi conditiones non reputantur esse, nisi mera hortas-

menta quæ veram non importent obligationem. Qua de re multa sunt decreta, nempe Senatûs Parisiensis 16. Mart. 1720. (*Journal des audiences*); Curia Tolosana 14 Aug. 1625. — 17. Januar. 1628. — Aug. 1727. (*Journal du Parlement de Toulouse, tom. 4. art. 287.*)

Quæres 2<sup>o</sup>. quid agere debeat qui Matrimonium contraxit ex metu gravi injustè & propter consensum extorquendum incusso.

Resp. eum non posse uti Matrimonio, nisi novo & libero consensu ratum habuerit quod fecerat invitus: Matrimonio enim uti cum non sua, immane & horrendum est scelus quod nusquam fieri potest licitum: sin autem contractum nolit facere novo consensu ratum, potest à Judice petere ut irritum declaratur; id porro ut faciat Juxta, certis opus est argumentis quibus constat gravem metum à causa externa, propter ipsas nuptias fuisse injectum. Ejusmodi judiciorum in foro, sive ecclesiastico, sive civili, plura occurrunt exempla.

Quæres 3<sup>o</sup>. an irritum declarari possit Matrimonium ex gravi metu contractum, si duo conjuges simul spontè habitaverint.

Resp. Si omninò desierit incussi metûs causa, post liberum contubernium (*cohabitation*) quod certo tempore duraverit, ratum censetur Matrimonium. Voluntaria enim hæc habitatio argumentum est sufficiens novi consensûs, qui solus ad conjugii firmitatem requirebatur. Quamobrem Senatus Parisiensis decreto 16. Decemb. 1728. *abusivam* declaravit sententiam *Officialis Primatialis* Lugduni, quæ mulierem ad violentiæ ipsi illatæ probationem admiserat, post liberum & voluntarium contubernium. (*Denisart* ad verbum *Mariage, nomb. 150.*) Ita etiam pronuntiavit Senatus Aqui-Sextanus (*d' Aix*) 28. Mart. 1669. (*Boniface, tom. 3. liv. 5. tit. 6. chap. 6.*)

Dum verò subsistit timoris causa, non obstat

contubernium, quamvis diuturnum, quominus rescindi possit Matrimonium. Nuptiæ enim ex se invalidæ firmitatem accipere non possunt, quandiu remanet causa propter quam statim ab initio irritæ fuerunt. Hinc Senatusconsultum 29 Mart. 1651. nullum & invalidè contractum declarat conjugium, quod inire vi coactæ fuerant duæ personæ licet majores, licet ex commercio nuptiis prævio nata fuisset proles. (*Code Matrim. ad verbum liberté nécessaire dans les Mariages.*) Aliud est judicium Senatûs Tolosani, 8 Februar. 1724. quo duæ confirmantur sententiæ *Officialium* Montis-Pessulani & Narbonis, quibus ad probationem violentiæ sibi factæ mulier admittebatur, post contubernium 12 dierum à Matrimonii celebratione. (*Journal du Palais de Toulouse, tom. 4. Arrêts 198 & 309.*)

Quamvis ex se nullius momenti sit Matrimonium coactum, ad aliud convolare non debent partes contrahentes, nisi prius declaratum à Judice fuerit nullum.

---

## DISSERTATIO II.

### De institutione & fine Matrimonii.

QUÆRES 1<sup>o</sup>. ubinam institutum fuerit Matrimonium.

Resp. Matrimonium in Paradiso terrestri institutum fuisse sentiunt omnes Theologi; sive cum ante formatam Evam dixit Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi,* (*Genes. 2. 18.*) id est, mulierem, quam statim creavit & indissolubili fœdere cum Adamo voluit esse conjunctam; sive cum ad utrumque